





5
H. iur. 2 maz. 166
1773, 38.
DE
ADVENTU
IVRIS CANONICI
IN
GERMANIAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV


PRÆSIDÆ
CAROLO FERDINANDO
HOMMELIO

FACULTATIS IURIDICAE LIPSIENSIS ORDINARIO
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

DIE XXIII. SEPTEMBR. MDCCCLXXIIII.

QVO IPSO DIE
NOVVM AUDITORIVM
IN AVGVRABITVR


OBTINENDIS
DISPV TABIT AVCTOR
JOANNES FRIDER. CLEEMANNVS
CHEMNICENSIS
IVR. VTR. BACCAL. ET ADVOC. IMMATR.



LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.




ADVENTA
LAUREGADONI
CERAMIA
MAGISTER CENSATOR
CENSATOR
SALVATOR
LAUREGADONI



DE

ADVENTV IVRIS CANONICI IN GERMANIAM.



Mirabile profecto, plerasque gentes non tam suis moribus ac legibus, quam peregrino iure potius ciuitate donato, vixisse. Ita quondam Romanorum ius sacrum, magnum incrementum acceperat, cum **NUMA POMPILIVS**, teste **DIONYSIO HALYCARNASS.** II. pag. 131. aliisque scriptoribus, quos laudauerunt **FRANC. CAROL. CONRADI**, in *Diff. de Fecialibus et iure feciali, cap. 3. §. 2.* nec non **IO. DAN. RITTER**, in *diff. de fecialibus populi Romani*, ius feciale Aequicolarum, reipublicae intulisset. Eorumdem quoque ius priuatum, quem fugit ex historia Legum XII. Tabb. nec non nobilissimis reliquiis Rhodiae de iactu legis, quae in Digestis prostant, maximam

A 2 par-

partem a Graecis petitum esse? Eadem Italia medio aeuo Teutonicas leges plane suas fecit, ut Illustr. PRAESES in Programmatice: *De Iure Canonico ex Legibus Germanicis explicando* multis exemplis demonstrauit. Contra vero Germania Romanas leges ac inter has ius Canonicum, in Italia natum, recepit. Ex quo Lutherus sacra repurgauit, nunquam defuere homines, qui acerrimis conuiciis pontificium ius proscinderent, tanquam religioni ac reipublicae noxiun et proflus e foris Germaniae exterminandum; de quibus ardelieribus tamen non nemo, qui sub nomine CVRTII ANTONII latere voluit, in Epitome Iuris Canonici pag. 30. Plerique, inquit, Protestantium in hunc errorem incident, ut se paeclare egisse putent, si ius canonicum, cuius sapientiam ne quidem peruident, et ipsius pontificem dictiis insipidis proscindant. Nempe illi saepe natiros, ubi nulli sunt, videre aut machinas fraudesque pontificum inueniisse gloriantur, immo si forte quaedam vere inuenierint praeter modum exaggerant, nec tamen erudite satis, unde non solum Romano catholicis, verum etiam doctis Protestantibus se derisi praebeant, propriamque non raro produnt inficitiam, dum infestantur pontificis. Evidem hoc ius pontificium non ita exosculor, ne multa ipsius paecepta improbanda putem, neque tamen propterea omnem hanc legum collectionem censeo abrogandam. Quod enim monstrolos legum partus qui ibi inueniuntur, quibusque hostili animo in maiestatem Imperii Romano - Germanici pontifices irruere conati sunt, attinet, dudum praeterlapsa sunt tempora ponticiae tyrannidis, quae talia credere cogebat. Haec ergo aliaque decreta iuris Canonici perniciofa et si reiicienda sunt, tamen partem sinceram recidere hanc consultum solet. Quum vero de recte aestimando eius usu meditarer, et simul circumspicerem, quannam disputationis materiem feligere, existimabam, ab huius diei solemnitate plane alienum non esse, si illum quem dixi usum de-

mon-

monstrarem et simul quo tempore illud Canonum ac Decretalium Corpus in patriam migrauerit? inquirerem. Exeat ergo libellus, quem quod faustum et fortunatum sit, in novo Petrini auditorio defendendi ac Primum in eis Doctoratum consequendi (eo ipso die, quo Illustris PRAESES ET PROMOTOR meus honores mihi conferendo, hoc Iustitiae templum more maiorum per hanc meam disputationem inaugurabit, deinde vero oratione solenni et Doctoralis Promotionis actu dedicabit) ab illustri Iureconsultorum Ordine impetravi; quod immortale beneficium nullum unquam tempus memoriae meae eripiet.

§. 1.

*Quaenam in Germania caussae dicantur ecclesiasticae,
quaenam civiles?*

Ius Canonicum in Germania spectat ad caussas tam ecclesiasticas quam civiles, quamobrem nostrum est, ante omnia pacis memorare, quaenam caussae in Imperio R. Germanico ad ecclesiasticas quaenam ad civiles referendae? Caussae ecclesiasticae aut publicae sunt, in quibus de statu ecclesiae et regimine ecclesiastico agitur, aut priuatae; haec dicuntur lites, quae cognitioni iudicis ecclesiastici subsunt, et aut in specie tales habentur, quales sunt, quae actus sacros, sponsalia, matrimonia, diuertia, beneficia, ius patronatus, loca religiosa, piis caussas, decimas, bona ecclesiastica, concernunt, aut quae super obligationibus clericorum personalibus in iudicium deducuntur. Quod testamentarias attinet, verum quidem est, in quibusdam regnis iurisdictionem ecclesiasticam, etiam ad has omnes, non solum quatenus ecclesiam et piis caussas tangunt, sed in genere dilatatam esse, ut in Gallia, ubi usque ad Seculum XVI. agnita in litibus testamentariis, iudicis

ecclesiastici cognitio. vid. CLAUD. FLEURY *Institut. Jur. eccl.*
P. III. c. 1. §. 5. et ZEG. BERNH. ESPENIUS in *Jur. Eccles.*
P. III lib. 2. c. 2. p. 193. Sed et Anglia testis, in qua ad hunc usque
 diem episcopi, vel Archiepiscopi iurisdictionem in litigiis
 testamentariis exercent; vid. IO. COWELLI *Institut. Jur. Ang-*
licani, lib II. tit. 10. §. 9. vt et certa ratione Belgium, V. BERN.
 VAN ESPEN. cit. l. Part. III. Lib. 2. In Germania autem nunquam
 eo usque grassata est ecclesiastica potestas. conf. GE. LUD.
 BOEHMERI lectu dignissimam obseruationem: *de orig. iurisd. eccl.*
in cauß. testam. in Obs. Jur. Can. n. 4. Referuntur potius tam
 apud Catholicos quam Protestantes in Imperio Germanico
 testamentariae lites exceptis iis, quae piam causam tangunt, ad
 forum ciuale, atque in dispositionibus iuris Canonici iis appli-
 candis, obseruandae nobis videntur esse regulae, quas infra
 de Vsu iur. Can. in caussis ciuilibus dabimus. Adiecit adhuc
 IO. STRAVCHIVS in *Comment. de orig. libr. nec non aucto.*
iur. Canon. §. 40. litigiis ecclesiasticis caussas iurisiurandi.
 Id quidem quoad Catholicos, quibus omne iusserendum ser-
 uandum videtur, quod salua salute aeterna seruari possit, ve-
 rum est. Cum vero Euangelicis iuramentum noui quid offi-
 cere haud videatur, et hinc super plane illicita pactio prae-
 stitum plane non obliget, e contrario quod super re licita iu-
 ratum propterea, quod eiusmodi religiosa assueratio sit pactum
 actionem quidem proferat, sed cognitioni iudicis secularis
 obnoxiam, sequitur, caussas iurisiurandi apud evangelicos
 ecclesiasticis non annumerari. Ecclesiasticis opponuntur
 caussae ciuiles, quo nomine veniunt lites, quae super dominio
 etiam feodali nec non obligationibus continenter et pro-
 xime ex lege sive conuentione oriundis agitantur. De delictis
 adhuc notandum, esse nonnulla, quorum cognitionem et poe-
 nam in territoriis catholicis solus Episcopus sibi arroget, quae
 propria vocantur, cum de aliis, quae communium nomine ve-
 niunt,

niunt, vterque iudex tam secularis quam ecclesiasticus iure praeuentoris cognoscere possit. Sed haec communia in provinciis, vbi dominatur Euangelica religio, iurisdictioni ecclesiasticae non sunt subiecta.

§. 2.

*De Iure, quod in caussis ecclesiasticis in Germania ante introducūm
Ius Canonicum obtinuit.*

Prius quam verba facio de receptione Iuris Canonici, paucis quaeram, quo iure in obortis controv ersis decidendis vfa sit ecclesia Germanica illis temporibus, quibus corpus iuris Canonici, nondum introducūm erat. Ac primum, quum ecclesiae Occidentalis pars Germanica, procul dubio normam definiendi cauſas dubias eandem, quam illa amplectebatur, ſecuta eſt. Talis vero fuit celebris ille **CODEX CANONVM ECCLESIAE VNIVERSAE**, cuius aetatem indagauit **IVST. HENNING BOEHMER** in peculiari *Obſerv. quae extat in Indic. Hallens. de a. 1741. n. 11. et n. 13.* Hunc librum iam anno. 451. in Concilio a MARCIANO Imp. Chalcedone habito exitiſſe nemo dubitat. Confectus autem eſt in Oriente, eumque exhibuere **GVL. VOELLVS** et **HENR. IV- STELLUS** in *Bibliothece iur. can. vet. T. 1.* sed venit deinde etiam in Occidentem et latine redditus eſt, quae versio pariter proſtat in allegata *Bibliothece iur. Can. pag. 275. T. 1.* eam quoque edidit **FRANC. PITHOEVIS**, *Paris. 1685.* Hanc latinam versionem haud in alium, quam Occidentalis ecclesiae vſum deinde repetit aliquis **DIONYSIUS EXIGVVS**, aliaque adhuc et particularium quidem conciliorum decreta addidit, quae recognita editio inuenitur in eadem *Bibliothece iur. Can. pag. 97. T. 1.* habuitque ſemper in ecclesia Occidentali vim iuris

com-

DE ADVENTV. IVRIS CANONICI

communis. conf. IVST. HENN. BOEHMER. l. c. Praeterea haec collectio Dionysiana expressa adhuc lege, scilicet IVSTINIANI *Nou. 131. c. 1.* confirmata. Competit enim Imperatoribus Christianis, fere ut hodie principibus euangelicis, Potestas ecclesiastica, partim in Conciliis, partim extra ea exercita. Hinc varia capita disciplinae ecclesiasticae, constitutionibus ab Impp. Christianis decisa sunt, quae in Codice Theodosiano et Iustinianeo reperiuntur et PHOTII et IOANNIS SCHOLASTICI, quos inuenies in citata Biblioth. VOELLI et IVSTELLI, T. II. p. 603. 789. Nomocanonum libris, dederunt originem. Iste Codex Canonum per vtramque ecclesiam tam Orientalem quam Occidentalem diffusus, vnde manifestum est etiam in Germania, postea quam sacris christianis initia erat, obtinuisse. Deinde ecclesia Germanica non solo illo iure, quod cum reliquis in Occidente congregationibus Christianorum, commune habuit, gubernata, verum etiam proprio. Aderant enim quam plurima Capitularia Regum Francorum, quae de negotiis ecclesiasticis praecipiebant, nec non canones habitis nationalibus conciliis conditi, qui pari modo in partibus iuris ecclesiastici Germanici numerandi sunt; immo, ut IO. IAC. MASCOVIO in *Princ. Iur. Publ. Lib. I. c. 5. §. 3.* videtur, eo ipso, quod hi canones maximam partem exoleuissent, corporis iuris Canonici, quod peregre in has regiones aduenerat, auctoritas magnopere creuit. Dedit autem JOSEPHVS HARTZHEIMIVS Collectionem Conciliorum Nationis Germanicae, Coloniae, 1759. -- 1763. Denique hanc vel illam dioecesis speciali etiam iure vi potestatis leges ferendi episcopo propriae, in dioecesis comitiis condito, gaufsan esse, cum toties synodorum scriptores medii aeui mentionem faciant, nemo negauerit.

CONF.

§. 3.

§. 3.

*De iure civili Germanorum, ante introductum ius
Canonicum.*

Ordo disputationis exigit, vt, quemadmodum de iure antiquo ecclesiae Germanicae nonnihil diximus, ita pariter legum ciuilium, quibus ante aduentum iuris Canonici in has regiones, maiores nostri paruerunt, paucis mentionem faciam, vt appareat, peregre aduentanti iuri pontificio ciui-les Germanorum leges fenestrarum aperuisse, vnde minus ne-cessarium arbitror priscarum legum Salicarum, Ripuariorum, Alamannorum, Baiuvariorum, aliarumque gentium Teuto-nicae originis, auctoritatem antiquitate repetere, verum id tantum, quod e iuris Germanici historia ad intelligentiam nostri argumenti, quidquam conferre videatur, breuibus eloqui. Scilicet antiquissimae Germanorum leges a regibus Francorum atque in primis a CAROLO M. et vniuersa stirpis Carolingicae progenie, promulgatis legibus, Capitularia dictis, tum in multis partibus mutatae tum mirum in modum adiectae erant. Satis hoc docent ipsa Capitularia, a doctissimis iuris Germanici collectoribus HEROLDO, LIN-DENBROGIO, ECKARDO, caeterisque in lucem producta. Sed extincta stirpe Carolingica, leges regiae exoleuerunt omnes, utpote ad minuendam Ducum Comitumque potestatem aptae, quo melius compages imperii Francici ad ingens fastigium iam perduci, contineri posset. Itaque illa Capitularia proceribus Imperii, non nisi admodum displi-cere poterant, qui iis hanc ob caussam inde a CONRADIL Regis Germanorum temporibus, nuncium miserunt. cf. NIC. HIER. GUNDLINGII diff. de statu reipubl. germ. sub Conrado I. Ab eo tempore vixerunt Germani moribus maiorum, valuitque ius illud, quod antique leges continerent, tanquam

B

con-

consuetudinarium. Secundum hoc exercita iudicia atque sententiae latae, immo quanquam ab Imperatoribus Saxonis, Franconis, et Sueuicis interdum constitutiones quae-dam emanarunt, (quarum numero illa OTTONIS M. de iure representationis nepotum in acquirenda aui hereditate, de qua SIGEBERTVS Gemblacensis, ad an. 942. apud Pistorium T. I. p. 813. loquitur, adiici solet, magis tamen pro decreto singularis causae quam pro edicto habenda) hae tamen aut ad statum imperii publicum, aut ius illustrium personarum aut ad Regnum Italiae spectarunt, per paucae de negotiis ci-vium priuatis praecipere. Facile autem intelligi potest, nec consuetudines a maioribus acceptas, neque etiam admodum pauca illa Imperatorum edicta, multitudini ciuilium negotiorum, in dies crescenti, suffecisse. Hinc ius saepe incertum, quod frequentiae iudicij duellici non raro occasionem dedit. Praeterea multum iudicum arbitrio datum; siquidem sententiae ab antecessoribus latae, si earum notitia superesset, pro legibus acceptae, DAV. GEORG. STRUBENII Hor. subsec. P. IV. pag. 38. et III. et P. V. p. 3. quales deinde cum veteri iure consuetudinario in specula, aliaque legum collectiones migrarunt.

§. 4.

De Introductione Iur. Canonici in Germania.

Talis erat facies iuris prudentiae ecclesiasticae ac ciuilis in Germania, ante iuris Canonici introductionem, de qua nunc dicere, ordior. Dubito autem, an priscis temporibus prima pars corporis iuris pontificii nempe GRATIANI, collectio canonum, sub titulo: Concordantia canonum discordantium, adornata usum aliquem in foris Germaniae habuerit, imo potius in his hominis priuati et Monachi Bononiensis

sis laborem plane fuisse ignotum existimo. Is vero laudatus codex tali ratione in iudicia Germaniae penetrabat. Scilicet rogauerat Vniuersitas Bononiensis Pontificem EVGENIVM III. vt in usus praelectionum academicarum, confirmaret Gratiani compilationem, ex qua ius ecclesiasticum diceretur. Hoc Pontifici videbatur utile ad conciliandum valorem priuato libro, qui sedi romanae, ob repetita Pseudo-Isidori decreta, blandiebatur. Hinc annuit precibus praesul, approbavit opus an. 1152. vt patet e testimonio Calendarii archigymnaſii Bononiensiſ, quod ex notis ALEXANDRI MACHIAVELLI ad Caroli Sigonii historiam Bononiensem, t. III. p. 128. produxit IVST. HENN. BOEHMER, in prafat. ad Corp. Iur. Can. T. I. ſ. 12. Praefiterat laborem Gratianus conciliorum decretis. Aderat vero magnus practerea constitutionum papalium cumulus. Scilicet pontifices in caffis dubiis saepenumero ob venerandam antiquitatem sedis romanae interrogati, dede- rant responsa de rebus variis. Cum vero potestate leges ferendi carerent, vix poterant eiusmodi epistolis, quae decretales vocabantur, promulgato quodam edicto vim iuris pu- blici tribuere. Licet enim tale, INNOCENTIVS II. an. 1129. tentasset, tamen ex voto ipſi non succederat. cf. Illuſtr. GE. LVD. BOEHMERVS, in Obſeru. Iur. Can. Obſ. I. ſ. 1. Postea pri- vatae prodierant compilations huiusmodi decretalium epi- ſtolarum, vt illa BERNHARDI CIRCAE, in fine ſeculi duo- decimi congeſta, nec non alicuius deinde IOANNIS Vallen- ſis, deinde INNOCENTIVS III. an. 1210. tertiam collectio- nem Decretalium, et quinquennio elapſo, quartam edide- rat, quas ſuo nomine insignitas Academiae Bononiensi mi- fit, cuius exemplum in edenda quinta decretalium Collectio- ne fecutus eſt HONORIVS III. Quatuor priores edidit AN- TON. AVGVSTINVS, Paris 1609., quintam, nempe Hono- rianam, CIRONIVS, Tolofae 1645. Tandem Cathedra D.

Petri a GREGORIO IX. occupata , iussu eius rescripta papalia collecta a RAYMVNDO DE PENNA FORTE , et quinque libris comprehensa an. 1234. communicabantur eiusdem Gregorii rescripto , quod iis praemissum est , cum Vniversitate Bononiensi et Parisiensi , vt exinde , eodem modo quo de Gratiani compilatione diximus , ius ecclesiasticum studiosis , qui ibi commorarentur , traderetur , adeoque sic in forum e schola migrarent . vid. ODER. RAYNALDI *Annal. eccl. ad ann. 1234. n. 26. T. XIII. p. 417.* Non est nobis silentio prætereunda notatu digna HONORII III. constitutio , cuius compilationem decretalium memorauimus , Roma in Galliam an. 1220. emissa ; est cap. 28. X. de priuilegiis et excessibus priuileg. qua disposuit , ne Parisiis et in locis vicinis ius romanum civile doceretur. Sanctio haec est : Firmiter interdicimus et difficius inhibemus , ne Parisiis , vel in ciuitatibus , seu aliis locis viciniis quisquam docere vel audire ius ciuale praesumat. Et qui contra fecerit , non solum a cauſarum patrocinii interim excludatur , verum etiam per episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur. Cum hoc praefulsi edictum ius ciuale e Gallia proscripsisset , lectabatur tum Gratiani opus , tum Honoriana collectio , et novissime Gregoriana , horumque librorum exemplaria , spretis iis , quae ad reliquas iuris partes pertinebant , quotidie in manibus eorum , qui iuri in Vniversitate operam dabant , versabantur. Uſus hic academicus progenuit forensem. Nam isti libri quemadmodum in foro variorum regnorum Europae , ita et Germaniae inferebantur , siquidem illas Academias magna copia iuuenum germanorum seculo XII. et XIII. studiorum cauſa frequentabat. Docet IANVS VINCENT. GRAVINA , in Orig. Jur. Ciu. n. 151. tempore Azonis , qui seculo XII. Bononiae Glosſator iuris celeberrimus exitit , decem mille studiosos illic degisse , in quibus etiam multos Germanos fuisse poterit exinde colligi quod ibi Germanoru[n] natio

natio insignibus priuilegiis donata fuerit. vid. SCHRA-
DER in *Monument. Ital.* pag. 64. et 65. et ANTON GATTVS in
histor. Gymnasi Ticinens. cap. 13. et 14. Immo etiam Parisiensem
litterarum Vniuersitatem a Germanorum magno numero fre-
quentatam esse, STRVVIVS in *Histor. Iur.* pag. 333. probauit.
Hi studiosi, in patriam reduces secum haustram ibi sapientiam
apportabant, et deinde admoti officiis publicis si ius dicen-
dum esset libros Gratiani et Raymundi, quibus quis Bononiae
aut Parisiis innutriti erant, tanquam Sibyllina oracula consu-
lebant, non tantum in ecclesiasticis verum etiam ciuilibus
causis. Videbantur enim canones ad secularia quoque nego-
tia prodeesse, praesertim cum facies Iurisprudentiae tunc tem-
poris in Germania talis esset, vt nisi ad iura peregrina confu-
geretur, non sufficeret.

§. 5.

Ulterius differitur de introd. iur. Can.

Placet hoc loco mentionem facere constitutionum Im-
peratoris FRIDERICI II. Moguntinarum, quibus apud GO-
DEFRIDVM Monachum Colonensem, in *Amalibus ad an.*
1235. legitur Imperator, habita Moguntiae Curia, anno 1235.
vetera iura statuisse et noua statuisse et Teutonico sermone in mem-
brana scripta omnibus publicasse. De sensu horum verborum a
viris doctis disceptatum est; scilicet, antiquitatum et iuris
patrii peritissimus IO. DAN. GRVBER cuius opinionem inue-
nies in *Nov. Att. Erud. Lips. Calend. Febr. an. 1738. editis;* retulit
verba: Teutonico sermone, ad verbum: publicasse, non vero ad
ipsas constitutiones, propterea quod tunc temporis quaेस
acta publica latino idiōmate conscribere, et germanica lingua
deinde promulgare in vſu fuisset. Sed perquam doctis argu-
mentis aduersus eum disputavit IO. GODOFR. SCHMVZER,
in egregio libello: *de Friderici II. Imperat. in rem litterar. meritis.*

B 3

Lipſ.

Lipf. 1740. edita §. 8. atque illas ipsas tabulas publicas, quibus FRIDERICVM vetera iura confirmasse et nova statuisse Monachus iste Coloniensis memoriae prodidit, germanica lingua fuisse conscriptas, graibus argumentis ostendit, easque primas fuisse constitutiones, quae vñquam in Imperio, sermone vernaculo prodiissent, cum HERM. CONRINGIO in præfat. ad Tacit. de mor. Germ. nec non in Comm. de Orig. iur. Germ. cap. 26. et 27. existimauit. Eiusmodi constitutio Moguntina, quae præ se fert annum 1236. germanice scripta, extat apud GOLDAST. Part. II. Constitut. Imperial. pag. 17. et eius tenoris est, vt ad hoc caput dissertationis nostræ de introd. iur. Can. omnino spectet. Praecipit Fridericus his verbis: *Wir gebieten auch vñstiglich das man in allen römischen Reich an geistlichen Dingen nach Gebot und nach Rait der Erzbischöfe sich habe, und jeglicher Bischoff oder Erzpriester nach geistlichen Recht, richte. Man soll auch die weltlichen Geericht an ihren Recht behalten.* GRVBER quidem loco cit. eius edicti fidem impugnare voluit, addita ratione, quod dialectus germanica illi constitutioni propria, aetati FRIDERICI II. haud conuenire videretur; sed omnino hic legendus est SCHMVZER, l. cit. qui hanc constitutionem, cui GRVBER manum iniecit, in libertatem vindicare contendit. Primus quoque iurisprudentiae germanicae restaurator, HERM. CONRINGIVS l. c. iam de eius fide non dubitauit, et Illustr. GE. HENR. AYRER, in diff. de aetate speculi Saxon. speculo Sueu. antiquioris, §. 4. Decreto, inquit, ordinum Imperii Germaniae anno 1236. Friderico II. regnante, statutum est, vt secundum ius Canonicum res spirituales deciderentur, idemque in negotiis secularibus diiudicandis valeret; neque etiam GOLDASTVS fraudis, vbi causa non est, arguendus est. Multi tamen huius iuris e longinquis regionibus allati, de cuius confirmatione egimus, progressui, in iudiciis secularibus valde repugnabant, quibus videbantur irrumpte hoc flumine peregrinarum sanctiōnum

num, patrii mores, quibus res germanica stabat, perniciosa inundatione interire. Neque ex alia caussa, vti putarunt **EV-CHAR. GOTTL. RINCKIVS**, in libello de speculo Saxon. finte *Iur. German. commun. et AYRER l. c. EPKO REPKOVIVS*, qui circiter hoc tempore mores maiorum collegit, hunc laborem suscepit, quam ne irrumpe iure Canonico plane exolescerent. Immo ipse **REP KOVIVS** pro consuetudinibus patriis a se ipso collectis, initio *Iuris Provincialis Lib. I. artic. 3.* Wenn der Babsten mag kein Recht seczen da her unse Lant-Recht oder Lehnrecht mite ergere. E contrario in caussis ecclesiasticis vnum ac solum, exceptis statutis quibusdam particularibus, dominabatur ius Canonicum, suppressis iis, quae nondum ante tempus introductionis eius, exoleuerant, iuris ecclesiastici Germaniae communis, reliquis. Nec minus secundam fortunam, quam quae Decreto Gratiani et Gregorii Decretalibus contigerat, nactus est Liber VI. Decretalium, ad supplenda Gregoriana collectanea, auspiciis Papae Bonifacii VIII. confectus, Romae anno 1298. publicatus et vt ex constitutione libro praemissa, cognoscitur, ad Academiam Bononiensem missus. Quod et de Clementinis dicendum, quae a suo auctore **CLEMENTE V.** vt ipsius epistola, edita atque illustrata ab **ILLUSTR. BOEHMERO** in *Obser. iur. Can. obs. I.* docet, cum Academia Aurelianensi eommunicatae, et post Clementis mortem, a **JOANNE XXII.** ad Vniuersitatem Bononiensem transmissae. Erectis in Germania sec. XIV. Academiis, dataque Antecessoribus potestate ius Canonicum docendi, vt Viennensi Academiae, priuilegio Urbani V. pontificis, de anno 1263. (v. **PETR. LAMBE C.** Lib. II. Catal. Bibl. Vindob.) Academiae Erfurtensi, liberalitate Urbani VII. anno 1389. (vid. **CONRING**, de Orig. Iur. Germ. §. 31) nec non Heidelbergensi, priuilegio Ruperti Reg. Roman. de anno 1380. (vid. **TOLENERVM** in *Histor. Pal.* pag. 122.) impetrabantur a multis summi iuris Canon. hono-

res

res. B. G. E. C. H. R. I. S. T. G. E. B. A. V. R. V. S, in peculiari Programmate, quo Bened. Bremeri solemnia promotionis iudicavit, integrum catalogum summorum in republica virorum, principali adeo dignitate et splendidissimis honoribus ecclesiasticis condecoratorum, qui se Licentiatos aut Doctores Iuris Canonici creari passi sunt, congregavit. Tanto in pretio habitum hoc ius peregre adiectum, et cum adiectis eius corpori, Extraugantibus constitutionibus, vbiique in Germania, indea Seculo XIII. usque ad initium Sec. XVI. floruit, quo occasione repurgatorum sacerorum, eius auctoritas in variis prouinciis, multum labefactata est. Nam Euangelici violentis editiis atque excommunicationibus a communione ecclesiae catholicae exclusi erant; hinc ius illud Canonicum proprie ad eos in causis ecclesiasticis haud amplius spectabat. Quum vero quae initio restauratae per Lutherum, diuinae religionis, publicatae erant a Principibus Ordinationes ecclesiasticae, ad decidendas qualcunque obortas lites haud sufficerent; e contrario in iuris Canonici corpore, ingens legum copia praefto esset, quae reiectis iis capitibus, quorum argumenta cum libertate conscientiae aut fidei euangelicae articulis pugnarent, normam finendarum litium suppeditare posse viderentur; eveniebat, ut hoc tacita voluntate Principum substitueretur, atque ita in iudicia etiam ecclesiastica protestantium introduceretur.

§. 6.

De Vsu iuris Canon. in causis ecclesiasticis Catholicorum.

Iam cum satis dictum de introductione iur. Can. verba faciam de eius usu recte describendo, qua in re necessario distinguendum esse arbitror, inter diuersas causas, prout nimurum aut ecclesiasticae aut ciuiles sunt, quae in iudicium deducuntur. De ciuilibus infra agendum erit. Quantus autem

tem sit iuris illius vsus in caussis ecclesiasticis, vt recte intellegatur, earum partitio intuitu catholicorum atque Euangelicorum, quatenus hos tantum, vel illos, vel vtrisque concernunt, facienda et secundum hanc differendum erit. Ac primum de vsu, quo ius istud in controvrsiis ecclesiasticis Pontificiorum in Imperio, pollet, videamus. Cum principi cui libet ius circa sacra et vi huius potestas cauendi, ne quid detrimenti capiat tranquillitas publica, competit, sequitur, in principiis etiam catholici territorio non posse hierarchiam tantopere graffari, vt pacem inter ciues seruandam turbantia capita iuris Canon. usum aliquem habere possent. Itaque haec omnia cessant. Reliquoru[m] vsus certis adhuc finibus circumscriptus est. Scilicet recepto Gratiani decreto et Decretalium collectionibus, quum permulti canones atque constitutiones, quae in illos libros coniectae erant, libertati ecclesiasticae magnopere officerent, conquesta est hac de re Natio Germanica, atque in eo contendit, vt fines auctoritati iuris Canonici ponerentur. De hisce grauaminibus tollendis a clara in Concilio Constantiensi an. 1414. et Basileensi, an. 1432. vid. IAC. FRID. GEORG. *Grauam aduersus sedem roman.* lib. I. c. 5. et 6. Quamobrem inita sunt Concordata an. 1448. inter FRIDERICVM III. Imp. et Papam NICOLAVM V. Conuentum in his Concordatis, de quibus legi merentur HENR. LINCK, *de Concordat.* Nat. Germ. ADAMICORTREII, *Observat. ad Concord.* Magd. 1705. 4. nec non IO. CASPAR BARTHEL, *in commentarij ad Concord.* 1762. 4. et *Introduct. historica* praemiss. editioni Concordator. quae Francof. et Lips. 4. prodiit. super beneficiis, quae solius pontificis prouisioni subiecta esse deberent, super electione praelatorum, nec non alternis mensibus, in quibus aut a pontifice aut collatore ordinario beneficia conferenda, et modus annatis positus est. Cum in iure Canon. papa sibi arrogasset potestatem, omnibus omnino beneficiis

neficiis ecclesiasticis prouidendi, *cap. 2. X. de praebend. in 6to.*
conf. quoque BERNH. DE ESPEN, Ius Eccles. P. II. Sect. III.
tit. V. c. 6. Concordatis hisce econtrario alternatiua men-
sium posita in minoribus, et in maioribus de nouo confirma-
ta electio capitulorum, quae iam antea transactio Calixtina
nitezatur. Dederunt haec Concordata Protectioni et Protec-
toribus Nationis Germanicae, in Curia Romana originem,
cf. *Illustr. 10. GOTTL. BOEHMII diss. de Nat. Germ. in Curia*
Rom. Protectione §. 6. quorum est, in aliis ipsis concreditis cur-
ris, etiam prouidere, ne Concordata in Curia Romana vio-
lentur, sed potius obuiam eatur quibuscumque attentatis, qui-
bus Praelatorum ac Principum Germaniae iuribus tum regi-
minis ecclesiastici, tum circa sacra versantibus, ecclesiarum-
que priuilegiis, vis inferri posset. Deinde quum ius poste-
rius semper priori deroget, atque agnita sit recentioribus tem-
poribus ab ecclesia pontificia in Germania, ius praefulsi ro-
mani leges ferendi, aut consensu ecclesiae in conciliis aut ex-
tra illa, datis constitutionibus, facile patet, iuri Canonico
non esse valorem quatenus recentioribus sanctionibus anti-
quatum. Sic v. g. magnam partem nouioris iuris Canonici,
faciunt decreta Concilii Tridentini, an. 1545. incoerti, et 1562.
finiti, nec non quam plurimae bullae papales, quarum collec-
tionem dederunt LAERTIVS et ANGELVS MARIA CHE-
RVINVS in *Bullario Mag. Tomis XV.* Supersunt statuta
synodalia cuiuslibet ecclesiae, eiusque leges speciales atque
obseruantiae, nec non capitulationes episcoporum, quatenus
hae non infirmatae sunt. Quae enim ad regimen praelati eccl-
esiasticum vel seculare diminendum tendunt, hae capitulatio-
nis partes nullae atque irritae sunt. cf. *STRUBEN in hor. subsec.*
Tom. I. Obs. 1. et BUDER, de capitulat. episcop. germ. item TOB.
JAC. REINHARD, ad Christinai decis. Vol. I. Obs. 14. His
aliisque iuribus particularibus totius cuiusdam dioeceseos, aut
saltim

saltim alicuius congregationis ecclesiasticae, veluti Capituli, tam in publicis quam priuatis caussis, derogatur iuri Canonicō, spondetque Imperator, se curam acturum esse, ne tum totius Germaniae ecclesiae, tum singularis, iura et priuilegia periclitentur, his verbis: *Wir sollen und wollen auch, in künftiger Unserer Regierung, bey dem heiligen Vater dem Papst und Stuhl zu Rom Unser bestes Vermögen anwenden, daß von demselben gleich Wir ohnehin des Vertrauens seynd, die Concordata Principum und die zwischen der Kirche, Päpstlicher Heiligkeit, oder dem Stuhl zu Rom und der deutschen Nation aufgerichtete Verträge, wie auch eines jeden Erz- und Bischoffen, oder deren Dom-Capitulen, absonderliche Privilegia, hergebrachte statuta und Gewohnheiten allerdings beobachtet, und dagegen durch unsörmiche Gratien, Rescripta, Provisionen, Annaten, der Stift-Mannigfaltigung, Erhöhung der Officien am Römischen Hoff, und Reservation, Dispensation, und sonderlich Resignation, dann darauf unternehmende Collation all solcher Praebenden, Praelaturen, Dignitatēn, und Officien, (welche sonst per obitum ad Curiam Romanam nicht devolviret werden, sondern jederzeit, ohnerachtet in welchem Monath sie auch ledig und vacirend würden, denen Erz- und Bischoffen, auch Capitulen und anderen Collatoren heimfallen,) wie weniger nicht per Coadjutorias Praelaturarum electiarum et Praebendarum Judicatur super statu Nobilitatis, oder in andere Wege, zu Abbruch deren Stifteren, Geistlichkeit und anders wiedergegebene Freyheit und erlangte Rechten, dazu zu Nachtheil des Juris Patronatus, und deren Lehen-Herren, in keine Weise gehandelt.*

§. 7.

De usu Iuris Canon. in caussis ecclesiasticis Protestantium.

Supra diximus, post reformatā sacra, ius Canonicum ab Euangelicis tacito principum consensu, ecclesiasticis etiam le-

C 2 gibus

gibus prouincialibus suffectum fuisse, vt in eiusdem generis causis definiendis obtineret. Sunt autem causae ecclesiasticae Protestantium vel publicae vel priuatae. Publicae ad regimen ecclesiae spectant. Id autem regimen quod quidem principibus euangelicis competit, determinatur conuentionibus publicis principem inter atque ordines prouinciales ecclesiam repraesentantes, aut membra ecclesiae in synodis congregatae initis. Sunt igitur haec conuentiones aut Recessus prouinciales ad statum ecclesiae spectantes, in quibus condendis ordines prouinciales ecclesiam repraesentarunt. Et enim inde ab eo tempore, quo iugum pontificis ab Euangelicis excussum, causae religionem concernentes, in coitis prouincialibus tractatae sunt. conf. CHRIST. GOTTL. BVDERI *Annoenit. Iur. publ. Obs. 3. de statum prouincialium consilio et concursu in causis religionis*, nec non IO. VLR. de CRAMER *Obs. Iur. Vniv. Obs. 419. §. 7.* vide quoque IO. IOACH. MÜLLERI *Annal.* aut sunt Decreta synodalia. In praelaturis euangelicis accedunt Capitulationes, quae tamen etiam sicut apud pontificios, quatenus de minuendis tollendisue iuribus praelati, quae huie ratione regiminis ecclesiastici aut secularis competunt, ibi actum, etenus non valent. vid. c. g. BVDER *de capitulat. episc. germ.* Itaque ad haec pacta tanquam ad normam in dijudicandis iis, quae ad statum publicum alicuius ecclesiae pertinent, ante respiciendum, quam ad ius Canonicum recurratur. Similiter etiam in causis priuatis ecclesiasticae Protestantium. Conditae sunt in plerisque territoriis euangelicis post emendationem sacrorum, Ordinationes ecclesiasticae, et quae earum partem faciunt, Ordinationes scholasticae, quarum complexum dedit MOSERI *Corpus Iur. Euangelic. ecclesiast. 1738. 8.* vid. quoque ERNST SALOMON CYPRIANI *Bericht von Kirchen-Ordnungen et BVDERI diff. de Ordination. Confessor. et ecclesiastic. Ducum Saxon.* Latae insuper aliae leges

leges speciales, in Synodis aut extra eas, in his illisue provinciis Germaniae, ad politiam ecclesiae euangelicae spectantes. Hae omnes primum excutienda sunt, priusquam sit iuri Canonico honos. Hoc enim iis demum deficientibus, deficiunt autem in multis, euoluitur. De huius recta applicacione in vitroque genere caussarum ecclesiae euangelicae, de quibus differuimus, haec tenenda regula: Omnes sanctiones iuris Canonici valent, nisi paci publicae aduersa, aut reprobatis principiis religionis nitantur, aut de institutis haud ab euangelica ecclesia receptis, praecipient. Sic v. g. quae ibi de iurisdictione in sacra interna leguntur, prorsus et omnino cessant. Ad persequendum ius minus quam perfectum, introductum est iure Canonico aliquod remedium, quod Denunciatio euangelica vocatur, obtentu peccati scilicet, ne conscientia hominis periclitaretur, inuenta. Cum vero iudici non sit regimen in conscientiam, et actio ex officio humanitatis, lege ciuili non agnito, profluens contradictionem in se contineat, merito eius vsus apud nos cessat. conf. CHRIST. THOMASIVS, *de denunciat. euang.* Sed illa, qua minuimus regulam, exceptio, ne scilicet, quae e reprobatis principiis prouenirent, vlli valoris essent, coarctanda adhuc est. Nam reiecta sunt interdum principia, retentae autem conclusiones. Exemplum sit hoc: de matrimonio, sicut de multis aliis argumentis iuris ecclesiastici, e iure Canonico quotidie responderi, quis nescit? Reprobamus principium, quod matrimonium sit sacramentum, permultae tamen quae exinde fluunt, concilios, supersunt, ab ipso LUTHERO Lib. 6. de caussis matrimon. improbatae. Scriptis STRYCKIVS, de reliquis sacramenti in caussis matrimonial. quarum catalogus autem MICHAEL HENR. GRIBNERO displicuit, ideo contra scriptis: *De his, quae ad reliquias sacramenti perperam referuntur.* cui respondit auctor disp. Stryckianae IOH. PHIL. ODELEM.

in libello: *de reliquiis sacramenti in matrimonialibus.* vid. quoque de his reliquiis, Auctorem, quisquis fuerit qui personam CVRTII ANTONII induit, in *Epitome Iur. Canon.* pag. 137. Caeterum eiusmodi consecratio, quod ex principio reprobatum fluit, vis quaedam inesse nequit, nisi de eius confirmatione certissime constet, atque aut expressa sanctio aut specialis obseruantia adsit, quae illud firmavit, nec sufficit allegasse hac in re canonem aut papale praeceptum, licet alias, qui excitat ius in folle receptum, singularis eius capitulis probationem non suscipiat. IVST. HENN. BOEHMER, in *prafat. ad Schilteri Institut. Iur. Can.* Vbi, inquit, *decisiones iuris Canonici ex principiis fluunt, a nostris vel reiectis, vel cum statu ecclesiastorum nostrarum pugnantibus, ab earum applicatione tam diu desistamus, donec de evidentia fori satis radicata constet. Conueniens enim est, ut dum principiis repudiam misimus, conclusiones quoque eo ipso repudiatis esse in dubio iudicemus, donec obseruantia constans probata fuerit.*

§. 8.

De Uso iur. Can. in causis, quae iura et obligationes Catholicon et Protestantium simul concernunt.

Progradimur ad aliud genus caussarum ecclesiasticarum, quod illas in se complectitur, vbi de iuribus et obligationibus utriusque religionis consortium, quibus inuicem gaudent, certatur. In his vhus iuris Canonici eatenus est, quatenus huius praecepta legibus Imperii circa sacra fundamentalibus, veluti Transactioni Passauensi, Paci Religiosae et Instrumento Pacis Osnabrugensis, quod illas confirmavit et ulterius declarauit, sic ut merito praecipua lex talis modi controuersias dirimendi habeatur, nec non aliis constitutionibus ac recessibus Imperii, quatenus de rebus ecclesiasticis agunt, haud aduersa inueniantur.

antur. Quae enim cum his pugnant, plane irrita atque infirmita sunt. Hinc INSTRUMENTO PACIS OSNABVRG. art. XVII. §. 3. additā sanctio, digna quae verbis iisdem, quibus expressa, huc referatur: *Contra hanc Transactionem ullamue eius articulum, aut clausulam nulla iura Canonica vel civilia, communia vel specialia Conciliorum decreta, &c. unquam allegentur audiantur aut admittantur, nec uspiam contra hanc transactionem in petitorio aut postitorio seu inhibitorii seu alii Processus vel commissiones unquam decernantur.* Est igitur ius Canonicum in catalogo earum sanctionum, quae quatenus pactis inter Imperatorem ac status Imperii nec non exteris reges super libertate profitandae religionis initis non conueniunt, antiquatae sunt. Istius autem sunt permulta praecepta, a quibus allegatae conventiones valde diuertunt. Sint nobis exemplo ea, quae de beneficiis ecclesiasticis eorumque proutis agunt. Secundum haec promouendi ad beneficia variis qualitatibus instructi esse debent, quas ius Canonicum, aut statuta cuiuslibet loci atque obseruantia requirunt. Quum vero INSTRUMENTVM PAC. OSNABR. disposituerit artic. V. §. 23. et 26. vt in collegiis ac congregationibus mixtis, quod capitulares aut canonici die 1. Ian. 1624. uspiam vel August. Confess. vel Catholici fuerunt, totidem illic ex utraque religione semper esse, nec decadentibus nisi eiusdem religionis confortes surrogari, atque in quibusunque foundationibus, ecclesias collegiatas, ministerias, hospitalibus eiusmodi mediatis, Catholici et A. C. additi promiscue viscerunt etiam posthaec numero profructus eodem qui die 1. Ian. 1624. ibidem repertus fuerit, viuere teneantur; non poterit status quaestio Evangelicis moueri a Catholicis, si qualitatibus illis, quae cum politia ecclesiae evangelicae pugnant, a iure tamen Canonico aut statutis requiruntur, vt quae a tonsura et clericatu repetitae sunt, cum nolit Augustana Confessio nisi ministerii obeundi gratia, quemquam ordinari, priuati sunt. vid. DAV. GEORG. STRUBEN

Recht!.

Rechtl. Bedenken, Num. 184. p. 473. Occurrit nobis adhuc aliud exemplum. Ius Canonicum damnauit eos, qui a communibus ecclesiae principiis discedunt, tanquam haereticos et schismaticos, eosque omni persecutione dignos censuit, statuitque ut cunctis iuribus ac priuilegiis, commodisque excidant, nisi que viuentibus iustitia, mortuis sepultura christiana denegetur. E contrario PAX OSNABVRGENSIS dispositus, ut vtriusque religionis consortes, non tantum libera facultate eam profitendi, et secundum statutum ibi normalem terminum, libero eius exercitio gaudeant, verum etiam, si reservatum ecclesiasticum excipis, ne eorum quisquam iacturam faciat, iurum et commodorum, suscepta sacrorum mutatione; reddatur ipsis iustitia, nec metuenda sit illorum vlli sepulturae christiana denegatio. Audiamus ipsa verba legis, quae continentur artic. V. §. 34. Sive autem catholici sive Augustanae Confessionis fuerint subditi, nullibi ob religionem despiciuntur habentur, nec a mercatorum opificum ac tribuum communione, hereditatibus, legatis, hospitalibus, leprosoriis, eleemosynis aliis iuribus aut commerciis, multo minus publicis coemeteriis honoreue sepulturam arceantur, aut quicquam pro exhibitione funeris a superstitionibus exiguntur, praeter cuiusque parochialis ecclesiae iura pro demortuis pendis solita, sed in his et similibus pari cum conciuibus iure habeantur aequali iustitia protectioneque tuti. His addit BEYERVM in Addidament. ad Carpzou. Iurispr. ecclesiast. lib. 2. def. 383.

§. 9.

De usu iur. Can. in causis ciuilibus.

Iam animus est differere de valore iuris Can. quo in causis ciuilibus polleat, et quodnam ipsis in his tractandis ac decidendis statuendum sit pretium? Eo enim ipso tempore, quo foras Germaniae ecclesiastica ius peregrinum intravit, in ciuilia quoque iudicia illud sese insinuasse supra occupauimus, manu fitque

fitque eius ad hodiernum usque diem, etiam inter euangelicos auctoritas. Lutherus quidem, ut retorqueret iniuriam sibi factam, cum ipsius libri Wormatiae, ius suu Pontificis LEO-NIS X. cremati essent, Vitembergae, Corpus Iuris Canonici in rogum coniecerat. Sed tantum abest, ut hoc factum ICtis tunc viuentibus, veluti Vitembergensis Academiae Professori, HENNINGIO ab GOEDEN, in historia iurisprudentiae publicae alias nota, caeterisque probaretur, ut potius, cum iis dissidia religionis ad ciuilia negotia non viderentur spectare, vigorem iuris Canonici strenue tuerentur, paelectiones super illo instituerent, exinde responderent, et caussas ad eos transmissas deciderent et utriusque iuris Doctores crearent.

IVST. HENN. BOEHMER, de praxi iur. Canon. in terris Protestant. Cap. 2. §. 3. et 6. et Ius Ecclesiast. Protest. Lib. I. Tit. 2. §. 63. seq. Neque etiam hoc numini Electorum Saxoniae dispuicit; id probatur testimonio, quod BVRCK. GOTTH. STRV, in hisbor. Iur. cap. VII. §. 37. denunciauit cumdam Iureconsulto, IOH. ZANGERIO, Professori quondam Decretalium Vitembergenſi, qui Seculo XV. vixit, idque oratione Vitembergae recitata, perhibuit. Nam ex illa patet, Electores Saxoniae, FRIDERICVM Sapientem, IO-HANNEM Constantem, MAVRITIVM, nec non AVGV-STVM, ius Canonicum in dicta Academia a Doctoribus iuris, tradi iussisse. Dubio igitur caret, ius Canon. per omne Imperium, quaqua patet, se diffundere, cum semel receputum, nulla lege abrogatum sit, atque in eo applicando ad caussas ciuiles, primum omnes iudices sibi hanc regulam in animum informare debent, auctoritate destitui, quae in Corpo iuris Canonici leguntur, simulac tranquillitati publicae aduersa inueniantur; Deinde adhuc diuersorum territoriorum habenda ratio, quin in iis prouinciis, ybi euangelica dominatur religio, ea decreta iuris pontificii, quae e reprobatis

D

prin-

principiis descendunt, etiam in caussis ciuilibus, aequae ac ecclesiasticis, vt supra euicimus, exulent, nisi de auctoritate conclusionis exinde profluentis, certissime constet. Reliqua vero capita in hisce prouinciis, non minus, quam vniuersa iuris Canon. placita in territoriis catholicorum, cum publica pace haud pugnantia, quoad caussas ciuiles, vsum praebent. Quim tamen aliis legibus subordinata sint, has quae antecedunt, recensebimus. Primum in quolibet ciuili iudicio, ad scriptas leges patrias, tum speciales cuilibet prouinciae aut loco proprias, tum Germaniae omni communes, respiciendum est. Quod et de jure consuetudinario, tam in vniuerso Imperio, quam in qualibet eius parte visitato, affirmandum est. Nunquam enim maiores nostri, veluti exhausto Circes poculo, ita naturam exuerunt, vt ne vlla quidem, recepto iure peregrino, apud eos pristina consuetudo mansisset, vt potius magna earum copia retenta sit, quamobrem in legibus recentioribus, non solum, vt adoptatum ius peregrinum sequatur, iudici iniunctum, verum etiam, vt respiciat statuta, ac moribus cuiuslibet loci recepta iura, et ante omnia quidem respiciat. *Recess. Imper. Nouiss. de an. 1654.*
§. 105. In indagandis autem eiusmodi moribus aut generalibus, aut particularibus vniuersiusque regionis et loci, multum confert, versare illa celebria monumenta vetustissimorum legum, vt praecipue *10. GOTTL. HEINECCIVS in praefat. ad T.I. Elem. Iur. Germ.* docuit. Idem de speculo iuris Saxonici, communes Germaniae consuetudines continente, nec non Speculo iuris Sueuici, et reliquis collectionibus iuris Germanici specialis, quae e medio aevo restant, dicendum. Quanquam enim illae vetustissimae leges teutonicae, a tot seculis vsum amplius forensem tanquam ius scriptum non praestitere, haec autem, scilicet medio aevo confecta collectanea, nunquam partibus iuris publice promulgati, potue-

tuerunt accenseri, tamen vtrisque pretium suum statuendum est, quum ad probandas consuetudines patrias multum faciant. Quanta vero sit illis habenda fides, tradidit Ampliss. DREYER de usu genuino iuris Anglo-Saxonici, et Perill. DAN. GEORG. STRUBEN, Hor. subsec. T. V. obs. 1. A legibus domesticis itur ad peregrinas et in caussis quidem feudalibus primum ad ius Langobardicum, deinde aequae ac in aliis caussis ciuilibus ad ius Ciuale et Canonicum. Quum vero utrumque horum, ciuitate in Germania donatum sit, quodnam alteri sit praferendum, videamus. Primum facile nobiscum omnes consentient, quoties quid iure Canonico decisum, de quo ius ciuale plane filet, toties illius definitionem sequendam esse. Quodsi vero inuicem pugnant, pugnant autem in nonnullis capitibus, diuersa Doctorum sententia est, cuinam principatus sit deferendus. Sunt, qui ius Canonicum propterea, quod prius receptum sit, quam Romanum, praefendum censeant. Sed videtur hoc argumentum ab antiquiore receptione ductum eos nihil iuare; quin immo contraria ri. Cum enim tacita etiam receptio sit instar promulgationis, et lex posterius promulgata semper priori deroget, sequitur, ius Romanum, posteaquam iuris Can. praecpta iam sese insinuarant, in foro Germaniae, receptum, tanquam posteriorem legem seruandam esse. Itaque in eiusmodi pugna vtriusque iuris, Romanum in caussis ciuilibus, de quibus hic sermo est, praferendum. Hanc regulam etiam vsus fori confirmat, exceptis quibusdam capitibus. Est in his, quod de praescriptione agit, et quaenam huius virtutes esse debant. Notum est, leges Romanas bonam fidem tantum ab initio requirere, vt per tempus lege definitum, vsu, domino alicuius quid adiiciatur; perpetuam bonam fidem postulat ius Canonicum, et hoc illas in foro antecellit, quod leges

D 2

apud

apud HENR. COCCEIVM in binis diff. de finibus bon. fid. in pae-
script. de iure Canon. disputantem, ceteroquin non huius fau-
torem. Idem statuendum de actione , e iureiurando, pro-
veniente , vid. 10. STRAVCH. de orig. et auctorit. iur. Can.
quatenus nimirum secundum id , quod supra §. 1. diximus,
ad cauſas ciuiles in Germania referenda. In his, si inter
vtrumque ius, dissensus inueniatur, Romanae leges postpo-
nuntur. Porro STRAVCHIVS eiusmodi cauſis, in quibus
ius Canonicum corpori iuris Romani anteponendum, adie-
cit fideicommissarias; sed videtur aliquo temperamento opus
esse. Nam duplicein quidem Quartam liberos fideicom-
missio oneratos, ex c. Raynutius, et c. Raynaldus, aliter ac iu-
re ciuili, deducendi potestatem habent, sed vsus fori, id,
quod iſis decretis cautum , tantum in conditionatis fidei-
commissis firmauit. Caeterum non solum de iure agendi,
quod in cauſis ciuilibus in iudicium deducitur, varia dispo-
nit ius Canonicum alteri iuri peregrino paeferenda, ve-
ruim etiam de ordine iudiciario , in quolibet cauſarum ge-
nere seruando, eiusque hac in re tanta est auctoritas, vt
cum maxima ex parte exinde prouenerit ille modus tractan-
di obuenientes in iudicio cauſas , qui Germaniae omni
communis est, in hoc fere omnino valeat, et iuri Iustiniane-
neo in hac etiam re , palmarum praeripiat. Hanc etiam
legum subordinationem obseruant summa Imperii iudicia,
in quibus vsus iuris Canonici non minus quam in foris pro-
vincialibus viger, quem vſum ostendit Ordin. Iud. Imper. Au-
lici tit. 7. §. 4. Daß das Corpus Iuris Civilis und Canonici alle-
zeit auf der Reichshofraths-Tafel seyn solle, damit man sich deren
in zweifelhaften Fällen gebrauchen könne.

Daß das Corpus Iuris Civilis und Canonici allezeit auf der Reichshofraths-Tafel seyn solle, damit man sich deren in zweifelhaften Fällen gebrauchen könne.

§. 10.

§. 10.

De usu Iuris Canonici litterario.

Ufui forensi iuris Canonici, quaedam subiungamus de
usu, quem accurata ipsius cognitio in variis scientiis recte ad-
descendis praefstat. Non enim negandum, in libris iuris Ca-
non. quaerendas esse origines variarum materiarum iuris pub-
lici priuatique Germaniae, ut et ecclesiastici, ibique etiam
esse tum iuris prudentiae variarum nationum, tum antiquita-
tum thesauros. Sic v. g. ius publicum Imperii, quatenus de
electione Imperatoris praecipit, atque in Aurea Bulla contine-
tur, non omne quidem, cum reliquiae veteris iuris manuarii
portionem eius faciant, cf. 10. HENR. CHRIST. V. SELCHOW,
de reliquiis iur. manuarii in iure publ. et priuato Germaniae. ma-
ximam tamen partem, ex iure Canonico descendit, ex
quo illud CAROLVS IV. cum formam electionis determi-
naret, summis. vid. G. E. LVD. BOEHMERI *Observat. Iur. Can.*
Obs. 3. Nam eius vita in id Seculum inciderat, vbi Decretistae
ac Legistae, qui nihil rati persique habebant, nisi quod in Cor-
pore vtriusque Iuris legissent, ad agitanda consilia super quae-
stionibus iuris publici priuatique adhiberentur. Mirum igitur
non est, argumenta canonum ecclesiasticorum et constitutio-
num papalium, in leges imperii migrasse, quo in numero est,
quod Aurea Bulla, de Missa de Spiritu Sancto, in inchoanda
electione Imperatoris, decantanda, nec non de jurejurando
ab Electoribus praefando, dispositi; id enim iam ante ius
Canonicum in electione praesulium romani, statuerat, quorsum
etiam referendum est Aureae Bullae praeceptum, licet nun-
quam in usum traductum, vt scilicet Electores, praeter lapsis
XXX. diebus, a die iurisurandi, nondum peracta electione,
panem manducarent, et aquam biberent. vid. IMM. WEBERI
diss. de capit. Chryso-Bull. &c. Parem enim abstinentiam a da-

pibus imposuit cap. 3. X. de elect. in 6to. Cardinalibus, si sedi apostolicae iusto tempore, prouidere distulerint. Item quod de conuocatione Electorum iustum est, vt et Scrutinium a sacerdotio ad imperium, ab electione praelatorum, ad auspicia Imperatoris peruenit. Nec minus etiam incrementum ius germanicum priuatum tam criminale quam ciuile, per Decretum atque Decretales accepit. Ita iuramentum purgatorium in multis cauissimis criminalibus, in locum veteris purgationis vulgaris, quae Ordaliis peragebatur, auctoritate iuris Canon. succedit. Non quidem hoc demum illius usus in foro Germaniae, illatus est, quum iam temporibus pagani et orta luce doctrinae de Christo, iusiurandum ad media veritatem indagandi pertinuerit; vid. 10. GVIL. HOFMANNI Specim. Leg. germ. §. 25. bene tamen eius praxis, vt IOH. SAM. FRIDER. BOEHMER, in *Iure Crimin. Sect. I.* Cap. 14. §. 253. existimauit, post constitutiones Pontificis GREGORII M. hac de re in cauissimis clericorum criminalibus emissas, crevit, vt propterea nomen purgationis Canonicæ acceperit. cf. MYLIVS, *de purgat. Canon.* Neque hic silentio praetereundus est processus Inquisitorius, qui natales suos refert ad decretales INNOCENTII III. vid. CHRIST. THOMAS. *de orig. process. Inquisitor.* et quanquam non lege germanica communi, veluti Nemesis Carolina, vtpote quae accusatorium processum probauit, speciali tamen plerarumque prouinciarum germanicarum, confirmatus est. Eset etiam interpreti iuris ecclesiastici Protestantium, etiamsi alias in foris ecclesiasticis usu destitutum eisset Ius Can. perquam necessaria eius cognitio. Sic in constituendis Consistoriis, Theologos Vitembergenses in consilium ab Electore SAX. IOANNE FREDERICO vocatos, principia iuris Canonici magnam partem secutos esse, leges apud CHR. GOTTL. BVDERVM, in *dissert. de Ordin. Confift. et eccl. faſt. Duc. Sax.* §. 4. Quod Ordinationes eccl-

ecclesiasticas attinet, multa earum capita e iure Canonico-
proueniisse, exemplis monstrauit idem BVDER l.c. §. 13.
Diximus quoque, deprehendi iuris apud diuersas gentes vſi-
tati vestigia in iure Canonico. Exempli loco mentionem fa-
ciamus capit. 2. X. de consuetud. huius tenoris: *Si quis pos-
sessiones aliquas clauſtris, vel aliis religiosis locis, in bona valetudine,
vel ultima voluntate, pro fuorum vult remedio peccatorum conferre:
hanc conferendi formam esse proponis, quod in huiusmodi donationi-
bus modicum terrae confuevit in manu accipere, vel in extremitate pal-
lii, quod manu praelati ecclesiae sustinetur, aut super altare ponendum
sub testimonio videntium et audientium, sub dicta forma, quae Sco-
tatio vulgariter appellatur: Discret. vestræ mandamus, quatenus
donationes eorum, quae sub obtentu consuetudinis clauſtris, Ecclesiis,
vel quibuslibet locis religiosis pie conferuntur, vel etiam sunt collata,
faciatis irreuocabiliter obſeruari, cum huiusmodi signum quod scota-
tio dicitur, non tam factae donationis, quam traditæ possessionis sit
evidens argumentum. De iure romano hic nihil addo. Texuit
enim JOHANN STRAUCH, in comment. de orig. et auctor.
iur. Can. catalogum legum romanarum, quae integrae in ius
Canon. translatae, et, vt ita dicam, canonisatae sunt, neque
videntur etiam haec derelicta iuris in spatis, Iureconsultum
fugere debere. Quod autemius Germanicum et feodale attinet
eius vſum demonstravit Praeses in Programmate superius lau-
dato *De iure Canonico ex Germanicis Legibus explicando 1755. emiſ-
so, et estor in Vestigiis Iuris Germanici in Iure Canonico.**

T A N T V M .



IN COLLEGIUM ANATOLIAE



ULB Halle
004 758 501

3



56





H. Inv. 2 Mar. 16

1773, 38.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

DE
ADVENTV
IVRIS CANONICI
IN
GERMANIAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESE^IDE
CAROLO FERDINANDO
HO M. MELIO
FACULTATIS IURIDICAE LIPSENSIS ORDINARIO
PRO
SVMMIS IN UTROQVE IVRE HONORIBVS
DIE XXIII. SEPTEMBR. MDCCCLXXIII.
QVO IPSO DIE
NOVVVM AUDITORIVM
INAUGVRABITVR
OB TINENDIS
DISPV TABIT AVCTOR
JOANNES FRIDER. CLEEMANNVS
CHEMNICENSIS
IVR. VTR. BACCAL. ET ADVOC. IMMATR.
LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

